Dissertatio medica inauguralis, de morbo psoadico : quam annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis, eruditorum examini subjicit / Raius Beckwith, Anglus. Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Nec non Soc. Reg. Antiq. Scotic. Soc. Correspond.

Contributors

Beckwith, Ray.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1784.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/kgbvfmx3

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBO PSOADICO.

DISSERTATIO M
INAUGURA

DE

MORBO PSOA

QUAM,

ANNUENTE SUMMO N

Ex Auctoritate Reverendi admo

GULIELMI ROBERTSO

ACADEMIÆ EDINBURGE

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEM

nobilissimæ FACULTATIS M

ito GRADU DOC

UMQUE IN MEDICINA HONORIBUS

RITE ET LEGITIME CONSEQU

Eruditorum examini fu

RAIUS BECK

ANGLUS.

Soc. Reg. Med. Edin. S

NEC NON

Soc. Reg. Antiq. Scotic. Soc. C

Ad diem 24. Junii, hora locoq

Non fingendum aut excogitandum, sed inve
rum est ferat.

EDINBUR
Apud BALFOUR et SM
Academiæ Typograph
M,DCC,LXXXIV.

9

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MORBO PSOADICO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

RAIUS BECKWITH,

ANGLUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

NEC NON

Soc. Reg. Antiq. Scotic. Soc. Correspond.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum quid natura faciat aut ferat. VERULAM.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIV.

c

VIRO REVERE

GULIELMO MA

HUJUS SECULI PO

FACILE PRIN

VIRO REVERENDO

GULIELMO MASON, A. M.

HUJUS SECULI POETARUM

FACILE PRINCIPI;

Nec

Nec non

Viro ornatissimo

FRANCISCO SMY

De NEWBUILDING,

In comitatu Eboracensi,

ARMIGERO,

Societatis Antiquariorum Londin. so

Omnigena scientia imbuto

Propter vitam probam, integra

Mores urbanos, amabiles,

Omnibus caro,

Amicitiae erga se suosque intem

Memor;

Hasce studiorum primitias

Summae observantiae testimon

Consecrat

AUCTO

Nec non

Viro ornatiſſimo

FRANCISCO SMYTH,

De NEWBUILDING,

In comitatu Eboraceſi,

ARMIGERO,

Societatis Antiquariorum Londin. ſocio, &c.

Omnigena ſcientia imbuto,

Propter vitam probam, integram,

Mores urbanos, amabiles,

Omnibus caro,

Amicitiae erga ſe ſuoſque intemeratae,

Memor;

Haſce ſtudiorum primitias,

Summae obſervantiae teſtimonium,

Conſecrat

AUCTOR.

Mr. Jeffray with best Compts.

from his humble Servt.

The Author

DISSERTATIO M

INAUGURAL

DE

MORBO PSOA

PROOEMIU

NTER diram morborum, q
manum lacessunt, cohorte
de funestus, in dissertatio
tus adhuc neglectus, que
tione tractare fum aggressur
, honores in medicina ar
nti, et hujus almae Acad

A

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBO PSOADICO.

PROOEMIUM.

INTER diram morborum, qui corpus humanum laceſſunt, cohortem, extat unus valde funeſtus, in diſſertationibus inauguralibus adhuc neglectus, quem hocce tentamine tractare ſum aggreſſurus. Mihi autem, honores in medicina ampliſſimos appetenti, et hujus almae Academiae legibus

morem gerenti, in animo eſt de Morbo Pſoadico pauca differere.

Synonyma auctorum hujus affectionis, me judice, ſunt.

Lumbago Pſoadica; *Sauvageſii, ſpec.* 6. *Fordyce, practice of phyſic, p.* 11. *pag.* 70.

Lumbago Apoſtematoſa; *Sauvageſii, ſp.* 12.

Phthiſis cellularis; *De Haenii rat. med. vol.* 1. p. 223.

DEFINITIO.

Dolores muſculorum lumborum profundi, obtuſi, diuturni, una cum corporis erigendi,

gendi, et femoris extendendi, difficultate et dolore; tumor vel nullus vel modicus, et diffusus; phlogosis nulla; postquam tamen partis apostema; pyrexia primum plerumque lenis, et tandem hectica.

PARTIUM AFFECTARUM DESCRIPTIO.

Psoas major est musculus magnus torosus, qui oritur ex latere corporis, ex apophysi transversa vertebrae inferioris dorsi, et eodem modo ex omnibus lumborum vertebris, unde transit lateralis per ossa ilei, juxta musculum iliacum, et subter ligamentum Fallopii, per anteriorem inferiorem spinam ossis ilei. Priusquam ex abdomine

domine exeat, cum iliaco interno jungitur, et ſimul in trochanterem minorem femoris inſeruntur. Arteriae harum partium ab aorta deſcendente proveniunt, et venae ad venam cavam currunt. Nervi ſunt ramuli ex quinque paribus lumborum.

Vaſorum abſorbentium magna eſt copia, quae ab inferioribus artubus et a pelvi in propinquo currunt; et plexus magnus quoque ſuper muſculum pſoadem tenditur *.

Pſoas, muſculis iliacis ac pectinaeis adjutus, flectit femur, idque antrorſum trahit, aut, ſi partes inferiores ſint fixae, corpus ipſum flectit.

HIS-

* Hewſon on the lymphatics, p. 30.

HISTORIA MORBI.

Incipit morbus ab dolore in regione lumborum, infra renes, una cum corporis erigendi, et femoris extendendi difficultate *.

Inter ambulandum corpus incurvatur, et membra lateris dolentis, titubante gradu aegerrime trahuntur, ita ut alterum crus longius videatur, quod tamen non fit, nam aegro recumbente, utrumque aequale invenitur †.

Aliquando lumborum dolor admodum saevus est, signaque pyrexiae, uti pulsus frequens,

* Sauvages.

† Ex praelectionibus viri egregii J. Hunter.

frequens, durus, ſitis, calor auctus, lingua arida alba, cibi faſtidium, urina rubra, &c. eum comitantur; ſed nonnunquam haec prima ſymptomata tam levia ſunt, ut parum obſerventur, vel prorſus negligantur.

Tempore progrediente, inflammatio in ſuppurationem abit. Dolores tunc mitigati, circa inguen praecipue tendunt; accedunt languores inſoliti, horrores magis minuſve moleſti, genarum rubor ingratus, et impetus febriles ſemel biſve quotidie redeuntes; urina rubra ſedimentum furfuraceo-lateritium, nonnunquam, teſte De Haen, purulentum deponit, et in mulieribus catamenia plerumque ſubſiſtunt: Corpus marceſcit, vultus pallet, et vires adeo franguntur, ut aegri miſerandi ſudoribus nocturnis aut matutinis diffluant. Apparet tandem

dem, tumor cum ſenſu fluidi fluctuantis, plerumque in parte femoris interna, interdum quoque in externa vel inferiore, iſque gradatim creſcens ingentem ciet dolorem *.

Pus formatum fit acre ſtagnando, vicinas partes rodit, viamque ſibi aperit. Interdum, etſi raro, in cavum abdomen effunditur, effuſionemque hujuſmodi lethum ſubitum plerumque conſequitur †. Alias, lumbos petit, uti meminit De Haen ; alias per glutaeos,

* Quibus placet dolorem ſupra genu, aut tumorem femoris, eſſe haud raro primum morbi pſoadici indicium, iis equidem aſſentiri nequeo, ſuſpicorque opinionem obſervationibus parum accuratis niti.

† De la Motte, traité complet de chirurgie, obſ. 54. &c. profert exempla quorundam aegrorum, qui, poſt terminationem hujuſmodi, omnino ſani evaſerunt.

glutaeos, aut interſtitia muſculorum abdominis, prope ſpinam oſſis ilei, effluit, et denique ex inguine, coxendice, aut perinaeo interdum erumpit. Quaecunque fuerit ſedes tumoris, ſenſus fluctuationis, uti antea notatum, cito percipietur, et vulnere, ſeu ſponte ſive arte facto, copia puris, ſaepe ad unam alteramve libram effluet. Ante tamen quam malum huc uſque pervenerit, plures menſes, imo anni, a nato malo, elabentur, et de Haen meminit de puero qui hoc malo ſex annos laboraverat.

Omnia ſymptomata hectica nunc valde augentur, inque ſummam debilitatem ruit miſer. Pus, magna quantitate ex vulnere effluens, foetidiſſimum evadit; appetitus deficit; ſomnus aufugit; ſudores nocturni magis magiſque urgent; diarrhoea moleſtiſſima

tiſſima advenit; anhelatio et tuſſis aegrum ſaepe vexant, quem delirium mite e vivis rapit.

Decurſus morbi poſt abſceſſum apertum haud raro adeo rapidus eſt, ut intra biduum vel triduum lethalis evadat, quanquam virium ſatis ad morbum depellendum aegro ineſſe antea fuerit viſum. Plerumque tamen ad menſem ſecundum aut tertium vita producitur.

CADAVERUM SECTIONES.

In cadaveribus eorum qui hoc malo fuerant abſumpti, ſcalpello anatomico ſubjec-

tis, inventi ſunt ingentes abſceſſus ſub muſculo pſoadis. Memoriae prodidit clariſſ. Lieutaud ex Hildano, duas libras puris ſub pſoade ſiniſtro inventas eſſe, cum carie trium vertebrarum lumborum. Exemplum aliud prodidit Chomel, ubi e ſinu in femore effluebat puris copia, et hic ſinus, ſecto cadavere, videbatur cum abſceſſu ingenti in lumbis conjungi.

Inquit De Haenius Illuſtris, ‘ Notabilia ‘ aliquot ac plane horrenda exempla habu- ‘ imus neglectae inflammationis lumbo- ‘ rum, crurum, coxarum, quam aut arthri- ‘ tidem, aut rheumaticam lumbaginem ar- ‘ tifices ſalutarant: Dum pure exeſi ani- ‘ mam propemodum agerent, ſuſcepimus ‘ illos, conſpeximuſque in cadaveribus oſſa ‘ femoris, vertebraſque lumborum ab acri

‘ pure

'pure corruptas et carioſas; imo pus ſibi
'viam pandiſſe a femore, per foramen o-
'vale ſecundum arteriam, venamque, ac
'nervum, ibidem reperiundum, pelvim
'impleviſſe; eroſiſſe carnes ſecundum lum-
'borum vertebras; et ſupra muſculos dor-
'ſi, ſcapulaſque, puris ingentia formaſſe
'pulvinaria, unde neglectu diſtinctionis
'cauſarum, in harum partium affectibus,
'nihil calamitoſius.' *(Ratio Medendi, vol. 1. p. 47.)*

Et in alio loco haec verba habet: 'De-
'cenni puero dorſum gravi baliſta contun-
'ditur, tumorque inde naſcitur; qui, quod
'ruri aſſolet, negligitur. Elapſis ſex a na-
'to malo annis, mihi demum ſiſtitur puer,
'cadaveri quam vivo ſimilior, purulenta
'cachexia conſumptus totus, quippe qui to-

'to

'to illo ſexennio, tuſſi gravique anhelitu,
'debilitate, febribus, craſſorumque ſputorum
'ejectione, laboraſſet. Ex iiſdem artis prin-
'cipiis, dorſi ingens tumor aperitur, e quo
'boni puris libra propemodum civilis e-
'ducitur.'—'Tribus integris menſibus ef-
'fluxit ex illa puris circiter libra media
'quotidie; poſt mortem, videbatur ſic ulcus
'in dorſi dextro latere ſub latiſſimo-dorſi,
'ad coſtam infimam pergere, quae jam ca-
'riem inchoaverat; ac dein ſub ſacro-lum-
'bali et longiſſimo-dorſi terminari. Cada-
'veris dein ſupinati thorace aperto, viſce-
'ra thoracis bona reperta ſunt, ut, quod ac-
'cuſares, invenires prorſum nihil, praeter-
'quam modicam utraque in camera aquam.
'Exemptis abdominis viſceribus, caro pſoae
'et iliaci interni, fluctuante materie elevata
'adparuit. Conſtitit tunc, accuratiore ex-

'amine

'amine facto, materiem purulentam inter 'hos musculos et sacro-lumbalem descen- 'disse, ad inguen pervenisse, sub aponeuro- 'si obliqui externi, sive sub dicto Poupar- 'tii ligamento, penetrasse, indeque emer- 'sam, sub adductoribus femoris, et sarto- 'rio, cavum sinum formasse, pure plenum 'ad $\frac{1}{3}$ circiter femoris altitudinem; musculi 'autem ubique integri erant, ita ut, modo 'eorum, a sese mutuis separatione, saccus 'formatus esset.' *Ratio medendi, vol.* 1. *p.* 222.

Aliud insuper exemplum ex Hildano proferam: 'Faber lignarius, biennio variis 'morbis, et postremo dolore ischiadico, la- 'boravit, et tandem extinctus; in dissec- 'tione, ad rotatorem femoris dextri, ingens 'abscessus, humorem purulentem copiosis- 'simum

'ſimum ſupra librae pondus continens,
'inventus eſt, hinc eroſis articuli ligamen-
'tis, inhibitis etiam muſculis, luxatio quam
'paſſus erat aeger, deinde ſub muſculo
'pſoa ſiniſtro, cui rem incumbit, quique
'in cruris interiorem partem infertur, in-
'gens atheroma, ultra libras duas puris
'craſſioris continens.' *Fabric. Hildan. obſ.* 71. *cent.* 1.

DIAGNOSIS.

Summam attentionem ab initio meretur hujus morbi diagnoſis; namque morbus incipiens, multo facilius quam inveteratus, curatur; ergo neceſſe eſt initio, eum a nephritide et rheumatiſmo diſtinguere, ac, in-

graveſcente

gravescente morbo, ab inflammatione et suppuratione partium ubi pus emergat, a bubonibus et herniis.

A nephritide dignoscitur; quia absunt nausea, vomitio, et dolores colici, quae morbos nephriticos maxime comitantur, et quia urina reddita sine dolore, post ejectionem non aeque ac in nephritide mutatur.

Pyrexia vehementior plerumque comitatur initium rheumatismi quam morbi psoadici, et sedes doloris est omnino diversa. Morbus psoadicus invadit lumbos, et praecipue vexat aegrotum cum femur in acetabulo rotare aut corpus erigere laborat; at rheumatismus corripit artus omnes majores, ibique saeviens, corpus motibus quibuslibet ineptum efficit.

Post

Poſt ſuppurationem inceptam, ſignorum ſyphiliticorum abſentia diſcrimini a bubonibus erit, nec non ſitus tumoris, qui eundem locum ac bubones raro occupat.

Ab herniis ſatis diſtingui poteſt ſignis praecedentibus, et ſenſu fluctuationis.

Accurata partium affectarum examinatio, una cum ſignis pathognomonicis ſupra memoratis, ſuppeditabit diagnoſin inter morbum pſoadicum, et topicam inflammationem vel ſuppurationem *.

CAUSA

* Morbus coxarius De Haenii videtur arthropuoſis ſpecies eſſe, affectio organica nempe articuli femoris cum coxendice. Vide Culleni celeber. noſol. method. arthropuoſis g. xxv.

CAUSA PROXIMA.

Causa proxima hujus morbi eadem est ac reliquarum inflammationum, quam siquis vellet videre plene ac eleganter tractatam, Culleni primas lineas adeat. Omnia hac de re proferre ad me minime attinet; perpauca igitur, quibus opus est ad rationem quorundam signorum reddendam, sola notabo.

Cuncta inflammationis phaenomena commonstrant, impetum sanguinis in parte affecta augeri, quod auctae actioni cordis interdum, vasorum partis inflammatae saepius, est tribuendum. Vasa autem partis

cujuſlibet ad majorem incitantur actionem variis ſtimulis, extremarumque arteriarum tali ſpaſmo qualis curſum liberum ſanguinis impediat.

Aucta actio diu durans vaſa interdum penitus rumpit, ita ut ſanguis ipſe effluat, ſaepius arterias exhalantes adeo ampliat, ut pro vapore tenui cava corporis humectante, ſerum effundant. Hoc in ſubſtantia cellulari ſtagnans, in pus convertitur, quod acre factum, partes vicinas rodendo, viam ſibi aperit.

Ex hiſce principiis pleraque ſymptomata facile explicabuntur. Dolor, omnium inflammationum comes, in morbo pſoadico adeo ſaevus plerumque ſentitur, ut aeger membra movere vix queat. Hic per-

ſtat

ſtat donec pus formatur, quo tempore dolor valde levatur. Pus tamen ipſum citò gignit graviora ſigna, quippe acre non modo rodit partes proximas, ſed abſorptum diriſſima mala, uti horrores, debilitatem, et febrem hecticam lethalem, ſaepiſſime edit. Quoniam ſymptomata inflammatoria partis affectae, et diatheſis phlogiſtica totius ſyſtematis, nonnunquam ſunt mitiſſima, ut ſupra obſervavimus, nonnulli, in hoc et ſimilibus exemplis, pus, ſine praeunte inflammatione, eſſe formatum crediderunt. Haec tamen opinio obſervationi parum accuratae originem debet. Dolor quidem inflammationum internarum aliquando eſt adeo levis, ut pus formetur priuſquam aegri vel adſtantes inflammationem adfuiſſe ſuſpicentur. Sed attenta obſervatio pus eſſe in-

flam-

flammationis nunc gravioris nunc levioris ſequelam, ſemper inveniet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quibuſdam placuit, homines ſcrophula laborantes eſſe ad morbum pſoadicum maxime proclives. Optimi tamen medici ac noſologi opinionem, paucis phaenomenis, nullis argumentis ſtabilitam, rejiciunt: multi enim, ſcrophulae omnino immunes, hoc morbo laboraverunt, et vice verſa. Quin ſcrophula interdum praecedat vel comitetur morbum pſoadicum non inficias ibo; ſed hoc minime mirandum; nam certe ſcrophula conſpicitur comes fere omnium morborum quibus gens humana ſit obnoxia. Affirma-

re

re igitur licet, hunc morbum eſſe nullae aetati, ſexui, nec temperamento, propriam.

Pro cauſis excitantibus recenſentur,

Vis externa, ut ictus et contuſiones, caſus ab alto, nixus ingens, &c. Satis omnibus notum eſt, haec frequentiſſimas cauſas inflammationis eſſe, et praecipue ejus de qua nunc agimus, ut clare apparet a De Haenio illuſtriſſimo, Hildano, &c. Frigus, corpori aeſtuanti applicatum, ruſticis haud raro morbum infert, maxime in lacunis ſordidis defaecandis, ubi aqua ad lumbos uſque attingit.

Rheumatiſmi acuti ſequela eſſe nonnunquam videtur, uti ex ſequenti hiſtoria colligere licet. Foemina gracilis, delicata, aetatis

tatis circa annum 22um, uxor militis gregarii, pluviis expofita, (ni fallit memoria), iter longum faciens, poft exercitum fuper epirhedio militari vecta, madidis veftibus, in rheumatifmum acutum incidit, et in Nofocomium in civitate Eboraci admiffa eft. Aliquanto poft pro fanata dimiffa, intra paucas hebdomadas, rurfus Nofocomium petebat, morbo pfoadico laborans et femimortua. Poft aperturam in abfceffu factam, cito fatis conceffit.

PROG-

PROGNOSIS.

Perfacile intelligitur, prognoſin plerumque infauſtam eſſe, tametſi, ſi ad hebdomadam tertiam, aut quartam, ex abſceſſu aperiendo, perveniat aeger, viribus parum laeſis, et febre hectica mitiſſima, meliora ſperare licebit.

RATIO MEDENDI.

Conſilia medendi diverſa erunt, pro diverſis morbi ſtadiis ; de quibus in ordine.

Conſilium

Consilium in primo vel stadio phlgistico est, diathesin phlogisticam totius systematis, et partis affectae inflammationem, amovere; cui optime convenit

Regimen antiphlogisticum, omni irritatione evitanda, et

Sanguinis missio generalis.

Quantum ad diathesin phlogisticam amovendum confert venaesectio, satis est notum. Oportet autem uti isto remedio praestantissimo ab initio usque morbi; nam tunc praecipue prodest, idque saepius repetere, licet signa lenia videantur, donec nempe dolores lumborum omnino amoveantur.

Oportet

Oportet quoque ſanguinem lumbis ipſis detrahere per hirudines, vel potius cucurbitulas cruentas, quae et in hac et in aliis inflammationibus utiliſſimae ſaepiſſime fuerunt inventae.

Refrigerantia et diluentia, qualia ſunt ſales medii, fructus acido-dulces, acida vegetabilia et mineralia aqua commixta, largius ſunt haurienda.

Veſicantia inflammationibus utiliſſima evadunt, ſpaſmo partis affectae ſolvendo, et fluida inde detrahendo.

Eodem conſilio praecipiuntur fomenta externa, balneum tepidum, et clyſmata emollientia.

Emetica ſeu vomitum ſive nauſeam ſolam cient, utpote quae ſpaſmum ſolvunt, et fluida ſuperficiem verſus eliciunt, minime ſunt negligenda.

In ſtadio ſuppurationis, omnia inflammationi apta inutilia vel nociva evadunt. Evacuantia tunc praecipue ſunt periculoſa; aegroti enim vires frangunt, febriſque hecticae adventum accelerant.

His igitur omiſſis, diaetam magis nutrientem, ad vires diuturno dolore, et copia magna puris fractas, reficiendas, interdumque forſan paululum vini exhibere oportebit. Summa tamen cura opus eſt; quicunque enim ſtimulus, ſeu externus ſive internus, calorem corporis nimis augebit, haud dubie nocebit. Calor externus igitur

ſit

ſit ſemper modicus, et contra alvum adſtrictam clyſmatibus ſedulo caveatur.

Nonnulli laudarunt balneum frigidum marinum, et forſan, in hoc ſtadio, ejus uſus diuturnus proficiet.

Quando tumor cum ſenſu fluctuationis in femore, aut alibi, invenitur, conſilia ſunt,

1mo, Puri quamprimum e corpore exitum praebere. Parvum vulnus huic optime convenit; ſi latum ſit, admittitur aër, quo pacto, omnia ſymptomata hectica illata mortem accelerant. Saepe accidit, poſt aperturam magnam factam, pus antea bonum acre et foetidum evadere, quod omnimodis evitari debet.

2do,

2do, Quum aeger tam ſubito debilitatur, ad omnia quae vires ſuffulcire valent decurrendum eſt. Inter tonica, quae nunc conveniunt, cortex Peruvianus primum ſibi vindicat locum. Si tamen ventriculus ferre nequeat tantum corticis quanto opus ſit, eum in clyſmatibus injicere, et alia tonica, uti chalybem, alumen, &c. praecipere decebit.

Stimulantia liberrime ſunt jam praecipienda; et ex his vinum generoſum, ſaepe ſumptum, optimum invenietur.

Diaeta ſit nutriens, et, ſi ventriculus ferre poteſt, lactea. Una cum his remediis ac regimine, exercitatio in navi aut rheda, et demum balneum frigidum, vires reducent.

Per

Per totum morbi decurſum, ſigna moleſtiora ſunt lenienda. Siquando diarrhoea moleſta urgeat, aſtringentibus compeſcenda eſt, et tuſſis lenibus mucilaginoſis eſt mitiganda. Hiſce tamen, ut et compluribus aliis ſignis gravibus, opium optime accommodatur.

Nefas mihi videtur huic diſſertatiunculo finem imponere, antequam gratias ampliſſimas abſolverim omnibus hujus Almae Academiae Profeſſoribus, longe lateque celebratae, tam propter praecepta medica eximia, quae per triennium hauſi, quam ob urbanitatem et plurima erga me beneficia.

Liceat quoque grates agere medicis et chirurgis eruditiſſimis ac peritiſſimis Noſocomii Eboraci, ubi quadriennium ſtudio re-

rum

rum medicarum dedi. Grates autem praecipuas viro clariſſimo Thomae Withers, M. D. debeo, non modo ob ſcientiam quam omnibus libere impertit, ſed ob curam ac benignitatem quibus mihi, morbo crudeli nuper laboranti, attulit opem.

FINIS.

arum dedi. Grates autem p
o clariſſimo Thomae Wri
co, non modo ob ſcientiam q
bere impertit, ſed ob curan
m quibus mihi, morbo cru
ranti, attulit opem.

FINIS.

lis, de
of Gl
rary